



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

2 V. descenderit ad infernum damnatorum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

ARTICVLVS II.

Utrum Christus descenderit ad infernum damnatorum.

287.
3. dist. 22. q. 1.
1. q. 2. & opus.
60 cap. 21.
circa med.



Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus descenderit etiam ad infernum damnatorum: dicitur enim ex ore diuinae Sapientiae Eccles. 2. 4. Penetrabo omnes inferiores partes terre. Sed inter partes inferiores terra computatur etiam infernus damnatorum secundum illud Psalm. 62. Introibunt in inferiora terre. Ergo Christus, qui est Dei sapientia, etiam usque ad infernum damnatorum descendit.

2. Præterea, Act. 2. dicit Petrus, quod Deus Christum suscitauit solutus doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Sed doloris non sunt in inferno Patrum neque etiam in inferno puerorum, qui non puniuntur pena sensus propter peccatum actuale, sed solum pena damni propter peccatum originale. Ergo Christus descendit in infernum damnatorum, vel etiam purgatorium, ubi homines puniuntur pena sensus pro peccatis actualibus.

Circa med.
illius.

3. Præterea, 1. Petr. 3. dicitur, quod Christus his, qui in carcere conclusi erant, spiritu ueniens predicauit, qui increduli fuerant aliquando. Quod, sicut Athanasius dicit in Epistola ad Epictetum, intelligitur de descensu Christi ad inferos: dicit enim quod corpus Christi fuit in sepulchro positum, quando ipse perrexit predicare his, qui in custodia erant spiritibus: sicut dixit Petrus. Constat autem, quod increduli erant in inferno damnatorum. Ergo Christus ad infernum damnatorum descendit.

Est ep. 11. in
2. cap. prim.
med. tom. 2.

4. Præterea, Augustinus dicit in epistola ad Euodium. Si in illum Abraham Sinum Christum mortuum uenisse sacra Scriptura dixisset, non nominato inferno, eiusque doloribus, miror, si quiquam ad inferos eum descendisse asserere auderet: sed quia euidentia testimonia, et infernum commemorant, et dolores, nulla causa occurrat, cur illo credatur uenisse Saluator: nisi ut ab eisdem doloribus saluos faceret. Sed locus dolorum est infernus damnatorum. Ergo Christus in infernum damnatorum descendit.

In ser. 2. de re
surre. qui est in
or. 137. paulo
à prin. 10. 10.

5. Præterea, sicut Augustinus dicit in quodam sermone de resurrectione, Christus ad infernum descendens, omnes iustos, qui originali peccato afflicti tenebantur, absoluit. Sed inter illos erat etiam Iob, qui de seipso dicit, Iob. 17. In profundissimum infernum descendit omnia mea. Ergo Christus etiam usque ad profundissimum infernum descendit.

Sed contra est, quod de inferno damnatorum dicitur, Iob. 10. Antequam uadam, et non reuertar ad terram tenebrosam, et operam mortis caligine, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Nulla autem est conuentio lucis ad tenebras, ut dicitur 2. ad Cor. 6. Ergo Christus, qui est lux, ad illum infernum damnatorum non descendit.

Respondeo dicendum, quod dupliciter dicitur esse aliquid adhiberi. Vno modo per suum effectum, et hoc modo Christus in quemlibet infernorum descendit, aliter tamen et aliter. Nam in infernum damnatorum habuit hunc effectum, quod descendens ad inferos, eos de sua incredulitate, et malitia confutauit: Illis vero, qui detinebantur in purgatorio, spem glorie consequenda dedit. Sanctis autem Patribus, qui pro solo peccato originali detinebantur in inferno, lumen aeternae glorie infudit. Alio modo dicitur aliquid esse alibi per suam essentiam, et hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni, in quo iusti detinebantur, ut quos ipse per gratiam inferius uisitat secundum diuinitatem, eos etiam

A secundum animam uisitat et loco. Sic autem in una parte inferni existens effectum suum aliquammodo ad omnes inferni partes deriuauit, sicut et in uno loco terra passus, totum mundum sua passione liberauit.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus qui est Dei sapientia, penetrans omnes inferiores partes terre, non localiter secundum animam omnes circumuendo, sed effectum suae potentiae aliquammodo ad omnes extendendo. Ita tamen quod solutos illuminauit, sequitur enim, Et illuminabo omnes sperantes in Domino.

Ad secundum dicendum, quod duplex est dolor, unus de passione pena, quam patiuntur homines pro peccato actuali: secundum illud Psalm. 17. Dolores inferni circumdederunt me. Alius autem dolor est de dilatione sperata glorie: secundum illud Proverb. 13. Spes quae differtur affligit animam.

B Quem quidem dolorem patiebantur sancti Patres in inferno, ad quod significandum Augustinus in sermone de resurrectione dicit, quod lacrymabili obsecratione Christum orabant. Viroscum autem dolores Christus soluit ad inferos descendens: aliter tamen et aliter. Nam dolores penarum soluit, praeseruando ab eis: sicut medicus dicitur soluere morbum, a quo praeseruat per medicinam, dolores autem causatos ex dilatione glorie actualiter soluit gloriam praebendo.

In ser. 2. de re
surre. qui est
137 in ord. à
med. tom. 10.

Ad tertium dicendum, quod illud, quod ibi dicit Petrus, à quibusdam refertur ad descensum Christi ad inferos, sic exponentes uerbum illud. His qui in carcere inclusi erant, id est, in inferno. Spiritu id est secundum animam, Christus ueniens praedicauit, qui increduli fuerant aliquando. Unde et Damascenus dicit in tertio libro, quod sicut his, qui in terra sunt euangelizauit: ita et his, qui in inferno. Non quidem ut incredulos ad

1. 3. or. sic. 20

C fidem conuerteret sed ut eorum infidelitatem confutaret. Quia ipsa praedicatio nihil aliud intelligi potest, quam manifestatio diuinitatis eius, quae manifestata est infernalibus per uirtutum descensum Christi ad inferos. Augustinus tamen melius exponit in Epistola ad Euodium, ut referatur non ad descensum Christi ad inferos: sed ad operationem diuinitatis eius: quam exercuit à principio mundi. Ut sit sensus, quod his qui in carcere conclusi fuerant uiuentes, scilicet in corpore mortali (quod est quasi quidam carcer animae) spiritu suae diuinitatis ueniens praedicauit per interuallum inspirationis: et etiam exteriores admonitiones per ora iustorum. His inquam praedicauit qui increduli fuerant aliquando, Noe scilicet praedicanti, quando expectabant Dei patientiam, per quam differabatur pena diluuij: unde subdit, in diebus Noe, cum fabricaretur arca, &c.

Ep. 99. à me.
illius tom. 2.

D Ad quartum dicendum, quod Sinus Abraham potest secundum duo considerari: uno modo secundum quietem, quae ibi erat à pena sensibili: et quantum ad hoc non competit ei nec nomen inferni, nec sunt ibi aliqui dolores. Alio modo potest considerari quantum ad priuationem glorie speratae et secundum hoc habet rationem inferni, et doloris. Et ideo nunc dicitur Sinus Abraham, illa requies beatorum: non tamen dicitur infernus, nec dicuntur nunc in Sinu Abraham esse dolores.

E Ad quintum dicendum, quod sicut Gregorius ibidem dicit ipsa loca superiora inferni profundissimum inferni vocat. Si enim quantum ad celsitudinem coeli, aer iste caliginosus infernus est quantum ad eiusdem aeris altitudinem terra, quae inferius iacet, et infernus intelligi, et profundum, potest. Quantum uero ad eiusdem terrae altitudinem, et loca illa inferni, quae superiora sunt alijs receptaculis inferni, hoc modo inferni profundissimi appellatione significantur.

li. 13. Moral.
c. 22. à med.

COMMENTARIVS.

Supposita distinctione supra tradita D. Thomae, duplici assertionem respondet. Prima est, secundum affe-

affe-

effectum Christum in quemlibet locum inferni descendisse. Quam explicat de gehenna, purgatorio, & Sinu Abrahæ. Quia damnatos de sua incredulitate confutauit, & verisimile est demones speciali tristitia, doloreque affectos esse, Christi gloriam & triumphum conspicientes: animas autem damnatas etiam fuisse de nouo accidentaliter afflictas, & inuidia percussas, videntes salutem vicinam ceteris hominibus aduenisse, de cuius ipsa participatione desperauerant. Vnde intelligitur, hunc effectum solum fuisse per modum cuiusdam locutionis, seu reuelationis, qua datum est omnibus damnatis, vt Christi victoriam, atque triumphum conspicerent, quantum ad eorum confusionem satis esset. Hunc autem effectum D. Thomas non probat, sed quasi per se credibile, & verisimile affirmat, vel probatum supponit ex nonnullis testimoniis scripture quæ in precedenti articulo attigerat. Vt est illud Psal. 23. Attollite portas principes vestras, & eleuamini porte æternales: & illud ad Colos. 2. Expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. Triumphus ergo Christi solennis fuit, ac publicus coram omnibus Angelis, & animabus tam bonis, quam malis, vt ex tunc omnis lingua confiteretur Dominum Iesum esse in gloria Dei Patris. ad Philip. 2. Ex quo vterius facilius explicatur, ac persuadetur effectus circa animas in purgatorio existentes. Nam illæ redemptionem suam perfectam esse agnouerunt, & spem obtinendi gloriam statim post perfectam purgationem conceperunt, quæ magnum eis gaudium peperit denique, quod in sinu Abrahæ habuerit effectum per se constat.

De alio autem loco scilicet limbo puerorum D. C. Thom. nihil dicit, neque explicat, an, vel quomodo Christus in illum descendit secundum effectum. Et in art. 7. vbi de his pueris specialem habet sermonem, negat quidem Christum eduxisse eos pueros ab eo loco: nihil tamen explicat, quod in eis fuerit operatus. Caietan. vero in hoc articulo exponit, hos pueros comprehendit ad D. Thom. sub damnatis, atque ita Christum habuisse in eis illum effectum, quem in alijs damnatis habuit seruata proportionem. Quia confutati inquit sunt de malitia originalis peccati, & de incredulitate, quam nec propria, nec parentum fide euaserunt. Quin potius addit Medina hic, locum horum puerorum non esse distinctum a loco aliorum damnatorum. Sed hoc posterius, & est contra communem sententiam Theologorum in 4. distinct. 45. vbi Paludan. Sotus & alij existimant magis distare hunc locum à gehenna, quam à purgatorio. Et multi etiam existimant satis probabiliter eum locum non futurum perpetuum habitaculum horum puerorum, sed solum vsque ad diem iudicii. Denique acerbissima esset poena eos detineri in gehenna, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, & in societate, & consortio Dæmonum, & aliorum, qui perpetuo Deum blasphemant, & oderunt. Aliud vero, quod Caietan. dicit, est vtrumque probabile: satis tamen dubium. Quia hi paruuli, cum nihil propria voluntate peccauerint, non videntur digni hac noua afflictione, reprehensione, & confusione. Et quamuis fructu redemptionis Christi frui non meruerint: non tamen videtur pietati Christi consentaneum, vt eos contristaret, cum ipsi per se impedimentum non posuerint, nec ipsius redemptioni fuerint ingrati. Et ideo forte D. Thomas de hoc effectu omnino tacuit, quia res erat dubia, & certa. Quam latius tractandam, ac definiendam in proprium locum remitto, quia ex alio principio mihi pendere videtur, scilicet an illæ animæ puerorum nunc cognoscant originem status sui, & lapsum primi parentis & Christi redemptionem sibi non applicatam. Nam si hæc non cognoscant, aperte loquitur, Christum non habuisse in eis illum effectum, quem Caietan. affirmat. Est autem verisimile hæc non cognoscere.

A Quia nec naturalia sunt, neque ad earum statum pertinere videntur, cum neque illis possint ad salutem prodesse, neque oporteat, vt ad poenam deseruiant, quia cum earum culpa non fuerit personalis, sed quasi naturalis, satis esse videtur, quod patiatur generale poenam carendi visione beata, regnoque celorum, absque alio dolore vel afflictione personali. Aliunde vero obstat, quod ex animæ iudicantur iudicio priuato statim in morte: sicut postea in fine mundi iudicio iudicandæ sunt vniuersali: si autem iudicantur necessarium videtur, ac rationi consentaneum, vt intelligant rationem, & causam sui status quæ fuit lapsus earum in Adamo. Quod si hoc agnoscunt, verisimile etiam est habere notitiam redemptionis Christi, & consequenter Christum descendente ad inferos habuisse in illis aliquem effectum, non directum, vt eas affligeret, & puniret: sed ad maiorem suam gloriam & honorem, vt ab omnibus aliquo modo cognosceretur & in veneratione haberetur. Et hæc pars magis nobis probatur, quam infra agentes de iudicio latius expendemus.

B Secundæ assertio D. Thom. est, Christum vere, & secundum essentiam descendisse ad Sinum Abrahæ, sed non descendisse hoc modo ad alia loca inferni. Prior pars est certior quam posterior: vtraque tamē longa examinatione, & disputatione indiget, quant infra trademus, in eaque varia testimonia, quæ D. Thomas, in solutionibus argumentorum attigit, commodius explanabimus.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus fuerit totus in inferno.



De tertio sic proceditur. Videtur quod Christus non fuerit totus in inferno. Corpus enim Christi est pars eius: sed corpus Christi non fuit in inferno: ergo totus Christus non fuit in inferno. 288. op. 13. c. 236.

2. Preterea. Nihil, cuius partes ab inuicem separate sunt potest dici totum. Sed corpus, & anima, quæ sunt partes humane nature, fuerunt ab inuicem separate post mortem, vt supra dictum est. Descendit autem ad infernum mortuus existens. Non ergo potuit esse totus in inferno. 150. art. 4.

3. Preterea. Illud totum dicitur esse in aliquo loco, cuius nihil est extra locum illum. Sed aliquid Christi erat extra infernum: quia & corpus erat in sepulchro, & diuinitas vbique. Ergo Christus non fuit totus in inferno. li. 3. c. 7. circa princ. tom. 9.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in libro de Symbolo. Totus Filius apud Patrem, totus in celo, totus in terra, totus in vtero Virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiso, quo latronem introduxit.

Respondetur dicendum, quod sicut patet ex his, quæ in prima parte dicta sunt, masculinum genus refertur ad hypostasim vel personam, neutrum autem genus pertinet ad naturam. In morte autem Christi, licet anima fuerit separata à corpore, neutrum tamen fuit separatum à persona filij Dei, vt supra dictum est. Et ideo in illo triduo mortis Christi, dicendum est, quod totus Christus fuit in sepulchro: quia tota persona fuit ibi per corpus sibi unitum: & similiter, totus fuit in inferno quia tota persona Christi fuit ibi ratione animæ sibi unitæ: totus etiam Christus tunc erat vbique ratione diuine nature. 150. a. 2. §. 4.

Ad primam ergo dicendum, quod corpus, quod tunc erat in sepulchro, non est pars persone increata, sed nature assumptæ. Et ideo per hoc quod corpus Christi non fuit in inferno, non excluditur, quin totus Christus fuerit. Sed ostenditur quod non fuit ibi totum, quod pertinet ad humanam naturam.

Ad secundam dicendum, quod ex anima & corpore unitis constituitur totalitas humane nature, non autem totalitas di-

Christi triumphantis, & gloriae demonibus, & damnatis infernalis.

Psalm. 23.

Coloss. 2.

Philipp. 2.

Caietan.

Medini

Palud. Sot.

Job. 10.

Caietan. Infantes in limbo existentes quid animæ Christi in inferno de sedente per se sentiant.